



Dissertatio medica inauguralis de bilis concrementis vulgo calculis dictis

<https://hdl.handle.net/1874/312650>

DISSESSATIO MEDICA INAUGURALIS

BILIS CONCREMENTIS VULGO
CALCULIS DICTIS.

LAURENTI VAN HALEN

DISSERTATIO MEDICA INAUGURALIS

DE

BILIS CONCREMENTIS VULGO
CALCULIS DICTIS.

PLATONICUS LIBER
CIVICUS DICTIOR

OMNIS ETINNIA

STATUOSSA.

JACOB VAN HALE

CONFUSIOSSA, ORO, E' SOR, CONFUSIOSSA, ORO, E' SOR,
CONFUSIOSSA, ORO, E' SOR, CONFUSIOSSA, ORO, E' SOR,
CONFUSIOSSA, ORO, E' SOR, CONFUSIOSSA, ORO, E' SOR,

CONFUSIOSSA, ORO, E' SOR,

CONFUSIOSSA, ORO, E' SOR, CONFUSIOSSA, ORO, E' SOR,

CONFUSIOSSA, ORO, E' SOR, CONFUSIOSSA, ORO, E' SOR,

CONFUSIOSSA, ORO, E' SOR, CONFUSIOSSA, ORO, E' SOR,

CONFUSIOSSA, ORO, E' SOR,

CONFUSIOSSA, ORO, E' SOR, CONFUSIOSSA, ORO, E' SOR,

CONFUSIOSSA, ORO, E' SOR, CONFUSIOSSA, ORO, E' SOR,

CONFUSIOSSA, ORO, E' SOR, CONFUSIOSSA, ORO, E' SOR,

CONFUSIOSSA, ORO, E' SOR, CONFUSIOSSA, ORO, E' SOR,

CONFUSIOSSA, ORO, E' SOR, CONFUSIOSSA, ORO, E' SOR,

CONFUSIOSSA, ORO, E' SOR,

CONFUSIOSSA, ORO, E' SOR, CONFUSIOSSA, ORO, E' SOR,

CONFUSIOSSA, ORO, E' SOR, CONFUSIOSSA, ORO, E' SOR,

CONFUSIOSSA, ORO, E' SOR, CONFUSIOSSA, ORO, E' SOR,

CONFUSIOSSA, ORO, E' SOR, CONFUSIOSSA, ORO, E' SOR,

CONFUSIOSSA, ORO, E' SOR, CONFUSIOSSA, ORO, E' SOR,

CONFUSIOSSA, ORO, E' SOR, CONFUSIOSSA, ORO, E' SOR,

DISSERTATIO MEDICA INAUGURALIS

DE

BILIS CONCREMENTIS VULGO
CALCULIS DICTIS,

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE RECTORIS MAGNIFICI

JACOBI VAN HALL,

ORD. LEON. NEDERL. EQUITIS, ORD. CORON. QUERN. DECURIONIS,

JUR. ROM. ET HOD. DOCT. ET PROF. ORD.,

NEC NON

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU

ET

NOBILISSIMAE FACULTATIS MEDICAE DECRETO,

Pro Gradu Doctoratus

SUMMISQUE IN

MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS

IN ACADEMIA RHENO-TRAJECTINA

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS,

ERUDITORUM EXAMINI SUBMITTIT

ADRIANUS HENRICUS TELJER,

e pago JUTPHAAS.

A. D. XXVI M. FEBRUARII A. MDCCCLVI, HORA V.

—
Trajecti ad Rhenum,

APUD L. E. BOSCH ET FILIUM,

MDCCCLVI.

ALLEGORIE DER
CONVERSATION

PAR CLOUDES D'ALEXANDRE
DU LIVRE DES MÉTIERS

JACOB VAN HAL

ANNO 1772

PARIS

OPTIMIS CARTASIMIS

PRACTICITRIAS

анекдоты и разные моральные

примеры для юношества

и практика володарства

и другие различные моральные

примеры

изданы в Париже в 1772 году

второй год издания

изданы в Париже в 1772 году

второй год издания

PARENTIBUS
OPTIMIS CARISSIMIS,
PRAECEPTORIBUS
AESTUMATISSIMIS

SACRUM.

REFLECTION

PRAEFATIO.

Cum multum mea intersit brevi summos honores capessere, mihi visus essem imprudenter acturus, si in quaestionibus praestantioribus vires periclitari ausus essem. Memor illius Ciceroniani: "prima sequentem honestum esse et in secundis, tertiusque consistere," argumentum aggressus sum, quod, licet non omnibus numeris, pressiori elaboratione absolvit possit.

Ne tamen opportunitatem elabi patiar palam profitendi, quid quantumque Promotori aestumatisimo me debere sentiam. Gratias ago quam maximas pro benevolentia, pro urbanitate, qua sui copiam facere nunquam recusavit, quotiescunque lubebat ipsius auxilium implorare.

Ceteris etiam Praeceptoribus, in primis Medicinae Professoribus, cum pro egregia institutione, tum pro humanitate, qua me prosecuti sunt, gratiam habeo sinceram.

Me in scholis clarissimorum virorum SCHRÖDER VAN DER KOLK, DONDERS, VAN GOUDOEVER, optimis disciplinis fructum esse quam maxime laetor. Tuis etiam lectionibus, Cl. SUERMAN, me usum esse, semper grato animo recordabor.

Exemplum autem eminentis Promotoris, viri Clarissimi LONCQ, in mentem insevit imaginem medici perfecti, ad cuius similitudinem artem exercere, utinam mihi contingat!

C A P U T I.

GENERALIA QUAEDAM DE CALCULIS FELLEIS.

Calculi fellei s. biliarii, s. cholelithi, qui dicuntur, solida, quasi lapidea sunt concrementa, quae in ductibus biliferis vel vesica fellea inveniuntur et praecipue ex bilis principiis constituuntur.

Eorum numerus valde est diversus. MORGAGNI ⁽¹⁾, testis omni exceptione major, ut SOEMMERING eum nominat, refert se 3000, WALTER ⁽²⁾ 500, BAILLY ⁽³⁾ 1000, BOUSSON ⁽⁴⁾ 1800 calculos in vesica fellea invenisse.

Si tanto numero, plerumque parvi sunt, nec

(1) MORGAGNI, de sedibus et causis morborum. Epist. XXXVII.

(2) WALTER, Observationes anatomicae. Berolini, 1775.

(3) BAILLY, The morbid anatomy of the most important parts of the human body. London, 1793, pag. 60.

(4) BOUSSON, de la bile etc. Montpellier, 1842.

majores grano hordei. Interdum unus tantum invenitur, isque saepe permagnus, ut BAILLY et GREISELIUS (¹) quoque unum magnitudine ovi gallinacei se vidisse testantur.

Colore multum variant. Jam coerulei, jam albi vel subflavi et flavi, fusti, nigri. Tandem sine colore vel spermati ceti similes, vel virides et pellucidi; interdum etiam maculati, ut marmor (²).

Variant quoque figura; si unus tantum adest, plerumque forma rotunda est vel ovali; si plures, saepius sunt irregulari, polyedrica, cubica, pyramidali forma, e mutua parietum frictione nata (³). Tunc plerumque alter alteri coagmentatur, ut omnes unum tantum corpus formare videantur. Superficies nunc est glabra, attactu plus minusve adiposa, nunc vero aspera et inaequalis.

In vesica fellea aut liberi jacent, aut in plica ejusdem tanquam in capsula inclusi sunt; saepe exsudato cum pariete vesicae interno cohaerent, vel jacent in loculis formatis exsudato spissato, albuminoso vesicae, vel exsudato, quod transiit in telam fibrosam (⁴).

(¹) MORGAGNI, Op. cit.

(²) C. ROKITANSKY, Handb. d. spec. path. Anat. II. Bd. pag. 372. Wien, 1842.

(³) J. CRUVEILHIER, Traité d'anat. pathol. Paris, 1852. T. 2. Pag. 178.

(⁴) ROKITANSKY, Op. cit. pag. 373.

Teste CRUVEILHIERIO (¹) etiam quasi in cystidiibus involuti esse possunt, in ductu hepatico, choledoco vel cystico.

Jam apud WALTERUM (²), qui praecipue eorum studio operam dedit et magnum numerum calculorum examini subjicit, divisionem invenimus, a structura desumptam. Distinguit nimis lapilos striatos, lamellatos, et corticatos.

Eorum structura nunc est aequalis, nunc inaequalis, secundum compositionem ex una pluribusve lamellis. Sunt, qui structuram pellucidam, radiatam, crystallinam (instar crystalli pellucidus, SCULTETUS) habent, in primis qui constant e cholestearine. (³)

Plerumque nucleus habent. FAUCONNEAU-DUFRESNE (⁴), "le noyau existe constamment," inquit, haud vero in concrementis peculiaris cuiusdam structurae, quae in fractura cerae fusae speciem referunt. Hicce nucleus constat ex muco, biliverdino, interdum sanguine coagulato aliisque corporibus alienis. Si diu servantur calculi, nucleus exsiccatur, granosus fit vel in pulverem redigitur. Hicce nucleus nunc splendens, crystallinus ob cholestearini copiam, interdum

(¹) Op. cit. pag. 177.

(²) Op. cit.

(³) ROKITANSKY, op. cit.

(⁴) FAUCONNEAU-DUFRESNE, *Traité de l'affection calculeuse etc.*
Paris, 1851. Pag. 102.

spongiosus (¹), nunc subniger, nunc croceo colore, etiam fuscus aut flavus. Magnitudo hujus nuclei non semper convenit cum magnitudine calculi. Plerumque major est, quo minor calculus, et forma saepius cum lapillo convenit. Inveniuntur calculi, in quibus duo, quatuor, imo quinque nuclei adsunt, (GUIBERT, BOUSSON et FAUCONNEAU-DUFRESNE) qui certe orti sunt ex conjunctione plurium minorum, quorum exempla tamen sunt rara. Verumtamen calculi etiam inventi sunt, quorum centrum cavitatem praebebat. Quamvis rarissime corpora aliena tamquam nuclei adsunt, LOBSTEIN et BOUSSON etiam lapillos memorant, quorum nuclei constant ex vermis intestinalis, ascaride lumbricoide vel distomate hepatico, vel ex eorum fragmentis. Sic calculus describitur magnitudine pruni domestici, maxima parte compositus ex cholesteatino, cuius nucleus liquefactus magnam quantitatem globulorum hydrargyri praebuit (²). Hicce calculus repertus est in homine, qui curam antisiphiliticam per inflictiones ex ungt. hydrarg. passus erat.

Circum nucleum saepissime stratum radiatum invenitur, constans e cholesteatino et biliverdino, cuius singuli radii splendide convergentes ad pe-

(¹) S. SOEMMERING, de concrementis biliaris. Trajecti ad Moenum, 1795. pag. 84.

(²) M. LACARTERIE, Gaz. de Santé, 15 Avril 1827.

ripheriam nuclei tendunt (¹). Hicce splendor, e cholestearino ortus, se minus ostendit, quum major copia biliverdini adest. Quo minor biliverdini copia, ratione habita cholestearini, eo splendidior et magis radiata est structura, ita ut in calculis albis, qui fere toti constent ex cholestearino, stratum radiatum quoque majus sit.

Circum partem radiatam pars corticalis posita est, quae fere tota ex biliverdino constat. Cholelithi, quibus est magna quantitas cholestearini, fere semper parvam partem corticalem habent.

Durities calculorum bilis est parva, recentes facile digito franguntur; siccati facile in grana teruntur. Qui constant ex cholestearino, plerumque sunt duriores et solidiores quam qui ex biliverdino. Quod attinet ad pondus eorum specificum, id quoque est exiguum, nec multum a bilis pondere differt. Exsiccando tam leves fiunt, ut facile aquae innatent, sed tandem, imbibito liquore, submerguntur. Variae tamen causae pondus specificum variare possunt. Pondus absolutum differt a nonnullis granis ad plures uncias; inventi sunt interdum unciarum 4 (²) et $3\frac{1}{2}$ (³).

Constitutio chemica constat, ut jam dixi, plerumque ex cholestearino et biliverdino, acceden-

(¹) J. CRUVEILHIER, op. cit.

(²) SCHAAARMIDT, apud HALLER in elem. physiol. pag. 565.

(³) RICHTER, med. und chir. Bemerkungen I. Bd. pag. 59.
Goettingen, 1793.

tibus felle spissato, resina bilis, margarino, muco, epithelio, phosphatibus etc.

MARCET⁽¹⁾ dicit, se magnum calculum vidisse, eiusque analysin fecisse. Hic calculus singularis est in historia calculorum biliarium; constabat nempe totus e carbonate calcis, colorato bile, colore erat flavus eiusque pondus gravius aqua.

In cinere, praeter salia carbonatica et phosphatica calcis et natrii, etiam manganesium et ferrum (DOLAEUS ET SCHURIG), interdum cuprum⁽²⁾ inveniuntur.

Secundum ROKITANSKY⁽³⁾ concrementa ex carbonate et phosphate calcis composita, non sunt producta bilis, sed potius muci blennorrhöici et puris e vesica fellea.

Calculi biliarii secundum compositionem chemicam dividi possunt

1º. in calculos fere unice consistentes e cholestearino.

2º. in eos, qui praecipue e biliverdino constant.

3º. in concrementa, quae striatim cholesterinum et biliverdinum ostendunt.

4º. in ea, quae fere unice ex materiis anorganicis constant.

Investigationes et analyses chemicae inveniuntur

(1) MARCET, Essai sur les affections calculeuses, pag. 140.

(2) HELLER, Archiv. f. phys. und path. Chemie, vol. II p. 228 et Bertozzi, Polli's Annali di chimica. Milano, Inglio 1845,

(3) Op. cit. pag. 373.

apud BERZELIUM, (¹) BRAMSON, (²) SEIFERT, (³) LEHMANN, (⁴) BECQUEREL et RODIER, (⁵).

Praeter calculos biliarios proprie sic dictos distinguitur etiam glareæ biliaria, (gallice: gravelle biliaire) quam HALLER dicit etiam in hepate reperiri posse. (⁶)

Concrementa sunt minora quam minimæ lentilculæ, et structura non convenient cum calculis. Hoc ideo solum de iis referimus et tantum addimus, BOUSSONUM (⁷) tres sequentes varietates distinguere:

1^o. *Gravelle cholestérique*: corpuscula sunt parva, quae bile aut faecibus, in quibus inventa, sunt colorata, mollia et facile digitis conterenda; comburuntur ut adeps, constant cholesteatino, interdum conjuncto cum parva quantitate bilis spissatae et muci. Sunt amorpha. Non tantum in vesica fellæ inveniuntur, verum etiam in omnibus ductibus biliferis et saepe in faecibus.

2^o. *Gravelle pigmentaire ou de matière colo-*

(¹) BERZELIUS, Lehrbuch der Chemie, 9^e Bd. Dresden und Leipzig, 1840, pag. 311 et sqq.

(²) Zeitsch. f. rat. Med. von HENLE, u. PFEUFFER, IV. Bd. 1846.

(³) Zeitsch. f. rat. Med. von HENLE, u. PFEUFFER, X. Bd. 1851.

(⁴) LEHMANN, Lehrbuch der physiol. Chemie 1853. 2^e Aufl. pag. 62, 63.

(⁵) BECQUEREL et RODIER, Traité de chimie pathol. Paris, 1854.

Pag. 253 et sqq.

(⁶) HALLER, Elem. physiol. T. VI. pag. 576, *Etiam arenulae in hepate reperiuntur.*

(⁷) Op. cit.

rante, constans ex minimis particulis biliverdini, in primis repertis in bobus.

3º. *Gravelle mélange ou charbonneuse*, quae pulverem refert aut grana parva conglomerata, aut pultem nigram majoris vel minoris spissitudinis.

Haec necessario praemonenda judicavimus. Procedimus ad pathogenesin.

C A P U T II.

AETIOLOGIA.

Quomodo cholelithi orientur et e quanam causa, adhuc satis incertum est. Multae exstant hac de re hypotheses, quas enumerare non hujus est loci. Certum est, mucum et epithelium plerumque puncta esse, circa quae alia corpora solida se jungere possunt. Praeter haec in cholelithis fere semper etiam pigmentum quoddam calcareum invenitur, quod verosimiliter ad calculorum formationem conferre potest. BRAMSON (¹) hoc invenit, quod novam periodum in historia constitutionis atque formationis calculo-

(¹) Ueber Gallensteinbildung in Zeitsch. f. r. Med. von HENLE und PFEUFFER 1846, IV Bd. et SEIFFERT, Ueber Zusammensetzung etc., in Zeitsch. f. r. Med. von HENLE und PFEUFFER 1851, X Bd.

rum biliarium constituit. At vel sic tamen nondum liquet, quomodo cholestearinum a bile possit separari, si etiam mucus et corpora calcarea, ut solida corpora, adsunt. Quaeritur itaque, an bilis calculos continens normalis sit. Putaverunt nonnulli, eam esse normalem; ⁽¹⁾ ex analysibus vero bilis humanae ad hoc usque tempus institutis parum adhuc concludi potest, quia chemicis media deficiunt ad tam exiguum bilis copiam, quae plerumque in cadaveribus invenitur, accurate explorandam. Accedit, quod bilis in cadavere repertae indoles magis fortasse a pathologico pendet processu, qui mortem induxit, quam ab eo, qui cholelithorum formationem effecit. Hoc autem fere certum est, bilem, in qua formantur concrementa, non tantum cholestearini posse continere quam normalem. Rarissime ⁽²⁾ tabulae cholestearini in bile sejunctae inveniuntur, saepissime contra in liquoribus e.g. exsudatis hydropicis etc. magna copia, unde concludi possit, materies solidas ac insolubiles multum valere ad formandos calculos biliarios. Si quaerimus, quid in bile normali cholestearinum ac cholepyrrhinum soluta retineat, experimenta directa docent, hoc praecipue effici acido tauro-cholico ⁽³⁾ et natro tauro-cholico. Quum resi-

⁽¹⁾ Novi commentat. Acad. scient. inst. Bonon. T. III. p. 307. conf. LEHMANN Loc. cit.

⁽²⁾ LEHMANN, op. cit. pag. 61.

duum insolubile calculorum fuscorum digerimus cum acido tauro-cholico vel natro tauro-cholico acido, solvitur, nonnullis floccis cinereo-albis exceptis, et solutio antea sine colore, nunc colorem bilis recentis induit. STRECKER jam diu monstravit experimentis, cholestearinum acido tauro-cholico (¹) eiusque salibus solvi. Formatio cholelithorum huc usque ideo manifesta esset, quum demonstrari posset, bilem concrementa deponentem aut inopem esse acidi tauro-cholici, respectu cholestearini et pigmenti calcarei, aut acidum eius tauro-cholicum jam decomponi in vesica fellea et ideo suam vim harum materiarum solvendarum amittere.

Reputantes, cholelithos, qui abundant cholestearino, sine illo pigmento calcareo numquam inveniri, contra calculos inopes cholestearini semper magnam eius pigmenti copiam habere, concludere quidem possumus, hancce conjunctionem valere in genesi horum concrementorum. Accedit ad hancce opinionem firmandam, quod saepius occurunt cholelithi in regionibus, ubi aqua multum calcis continet, ut et in aetate provectioni, quando, uti notum est, variae calcis depositiones locum habent.

(¹) Acidum, quod LEHMANN taurocholicum, STRECKER choleïnicum denominavit, compositum est ex ac. cholal. et taurino. conf. DONDERS en BAUDUIN, Handleiding tot de natuurkunde v. d. gezonden mensch. Utrecht, 1851. D. I. afd. I. pag. 208 et sqq.

Haecce de calculorum biliarium formatione hypothesis novissimis investigationibus indicatur, ut iis, quas instituit BRAMSON, SEIFERT, LEHMANN, alii.

HEIN (¹) formationem in ductibus biliferis quaerit intra hepar sitis. Majores et crystallini, secundum eum, solum in vesica fellea formantur et sunt sequelae morborum localium hepatis, e. g. catarrhi viarum biliferarum aut simplicis irritatio-
nis mucosae!

Nonnulli affirmaverunt, in vena portarum etiam calculos formari? (²)

Sexum quo attinet: faeminae magis quam viri calculis biliariis subjectae esse videntur (³). Secundum PROUTIUM (⁴) proportio est ut 1—4 vel 5. HEYFELDER (⁵) inter 40 calculis istis laborantes 5 tantum viros invenit; ceterae erant foeminae, 32—70 annorum. Inter quindecim historias morborum a calculo, quas HALLER opusculorum pathologicorum tomo III enarrat, tres tantum virorum sunt. Ejus sententiam quoque sequuntur HOFFMANN (⁶), SOEMMERING, DIET-

(¹) Dr. HEIN, Ueber Gallensteine etc., in Zeitschr. f. rat. Med. von HENLE und PFEUFFER IV Bd. 1846, pag. 29.

(²) Revue méd. 1844, ubi Fauconneau—Dufresne narrat talem casum.

(³) HEIN, l. c. inter 623 casus 377 erant feminae, 243 viri.

(⁴) PROUT, Stomach and urinary diseases.

(⁵) CONF. CANSTATT, Bijzondere ziekte en genezingsleer, d. IV. 2^e afd. pag. 460.

(⁶) HOFFMANN, medicina rationalis systematica.

TRICH⁽¹⁾. Etiam anni climacterici formationi favere putantur. Haec autem praedispositio mihi videtur non adeo in peculiari quodam, quod generi foemineo est proprium, verum potius in vita magis sedentaria et domestica quaerenda esse: haec enim certe est causa, quod calculi biliares tam frequenter occurunt apud viros doctos, incarceratos (HAILLER), monachos atque aegrotos, qui diu in lecto decubuerunt. Plerumque occurunt in senectute, certe in aetate provectioni, raro in juventute, rarissime apud infantes. Haereditarium quoque morbum in quibusdam familiis occurtere, nonnulli putaverunt⁽²⁾.

Homines obesi quoque saepe calculis biliariis laborant et polypiosis interdum eos comitatur⁽³⁾. Inter causas etiam nominantur abusus spirituorum, vinum acre, alimentum siccum, cibi caseosi et pingues, moeror continuus. HOFFMANN etiam putat, venae sectionem neglectam in plethoricis calculorum formationi favere.

Secundum CANSTATT⁽⁴⁾ cholelithiasis in nonnullis regionibus, ut in Hannovia, Goettingae, et in quibusdam Angliae et Hungariae regionibus endemica est. Utrum autem diaeta incola-

(1) Observationes quaedam de calculis in corpore humano inventis. Halae, 1788.

(2) FAUCONNEAU—DUFRESNE, op. cit.

(3) ROKITANSKY, op. cit. pag. 374, qui dicit saepe carcinoma etiam calculis comitari.

(4) Op. cit.

rum, an humidum et frigidum clima hujus rei causa sit habenda, non manifestum est.

Arthritis interdum quoque nexum causalem habere videtur cum cholelithis, et secundum PROUTIUM (¹) apud eos, qui laborant calculis e cholestearino, persaepe praedispositio invenitur ad depositions acidi urici in urina. Etiam apud BUDD (²) legimus: "it is probable, that in London, the habit of drinking porter, which frequently leads to lithic acid deposits, and to the most inveterate forms of gout, in persons who inherit no disposition to them, may also frequently lead to the formation of gallstones." Causa proxima autem in mutata chemica compositione bilis quaerenda erit, uti supra jam monuimus.

(¹) Op. cit.

(²) On diseases of the liver by G. BUDD, II. Edit. London, 1852. Pag. 360.

for which cause ambiguitatee invenimus us
miserabilem, non obstat enim sepius esse
necessarium maxime dilatatoe interdum situr.
In sequentia si antedictis non credibilibus
conjecturis sive silvoleo etiologiae in praeceptis
bonitatis (1) etiam possit haec
positio esse recta (2).

CAPUT III.

SYMPTOMATOLOGIA.

Plurimi et, ut vidimus, maximi calculi bili-
ares in vesica fellea inveniuntur. Non tam fre-
quenter in ductibus biliferis intra hepar sitis
adsunt, quam in vesica.

Apud BONNETUM (1) magnus exemplorum cita-
tur numerus, ut et apud MORGAGNIUM; recen-
tiori tempore apud BERARDUM, ANDRALLIUM,
REYNAUDIUM, alios. Haec concrementa plerum-
que pertinent ad sic dictam glaream biliariam.
Rarius etiam calculi in ductu hepatico inveniun-
tur. WALTER, l. c. in observatione secunda, in
ductu hepatico, ad capacitatem pollicis unius
aucto, concrementum biliare, magnitudine nucis
moschatae minoris reperit. Tali in casu plerum-

(1) BONNET, sepulcretum anatom. Libr. III. sect. 17.

que ductum choledochum obstruunt. ANDRAL⁽¹⁾ parvum calculum prope conjunctionem ductus hepatici et choledochi invenit. Idem⁽²⁾ semel etiam ductum hepaticum immodice extensum, concrementisque expletum invenit, dum ductus cysticus et choledochus crassitudine parietum obliterati erant. CRUVEILHIER⁽³⁾ etiam calculos in ductu hepatico observavit. Si calculi adsunt in ductu cystico et choledoco, fere semper e vesica proveniunt. Hunc transitum interdum comitatur gravissima symptomata, ut infra videbimus.

Calculis biliaris laborantes saepe queruntur de gravitate⁽⁴⁾ et pressione in epigastrio et hypochondrio dextro, afficiuntur cardialgia, colicis periodicis, ictero, variisque symptomatibus dyspepsiae. Alvus eorum parca et irregularis est et plerumque faciei color flavescens. Saepe tamen nullum symptoma eorum praesentiam indicat. Unica signa pathognomonica sunt excretio calculorum et strepitus quidam (LISFRANC), in macilantis interdum per integumenta abdominis observandus. Calculi etiam, qui in vesica fellea adsunt, tumorem externe observandum formare possunt.⁽⁵⁾

(1) ANDRAL. Clin. méd. T. IV. pag. 347.

(2) Op. cit. pag. 349.

(3) CRUVEILHIER, Anat. Path. XII Livr. Pl. V.

(4) BOERHAAVE, Praelectiones ad institut. § 790.

(5) WUNDERLICH, Handboek der Pathol. en Therapie D. III. afd. 2 pag. 1194.

Gravissima symptomata, quae interdum producunt, certe haec sunt, quae communi nomine colicae hepatica definuntur. Haecce colica sive neuralgia hepatica, nonnisi hyperesthesia plexus hepatici, secundum HENOCH quoque non raro sine calculis apud feminas occurrit, plerumque afficiens hystericas atque hypochondriacas. CUSACK (¹) se observasse dicit, abusum theae infusionis in Anglia multum valere ad hanc neuralgiam provocandam. STOKES eam interdum observavit cum dysmenorrhoea.

Colica hepatica plerumque efficitur irritatione plexus hepatici, quam transitus calculorum e vesica fellea in ductum cysticum producit.

Nimia corporis intentio et motus, mutata corporis positio praesertim in latus sinistrum, respiratio profunda, momenta sunt, quae ad hunc transitum ansam praebere possunt. Dolor tunc plerumque subito oritur, in primis duabus vel tribus horis post coenam copiosam. Aegroti queruntur de sensu pressionis et constrictio-
nuris in regione vesicae felleae, qui identidem in tam vehementem dolorem lancinantem et perforantem vertitur, ut aeger in positione curvata in lecto aut humi se jactet atque manibus epigastrium premat, ut doloris remissionem accipiat. Huc accedunt nausea, vomitatio, anxietas, quae,

(¹) Cases of certain nervous diseases, occurring principally in females with observations. Dubl. Journ. pag. 220.

durante paroxysmo, augmentur, et dum dolor se per irradiationem, quae dicitur, in humerum et femur dextrum propagat, ingemiscentes et anxie clamantes, mortem amicam invocant. Omnes fere musculi spasmodice sunt affecti; oculi et facies rubra ac tumida sunt, vultus Hippocraticus.

Plerumque etiam affectiones sympathicae superveniunt, vertigo, cephalalgia, convulsiones, tam locales quam universales, immo etiam epilepsia. Dolores vehementissimi apud valde sensibiles etiam mortem per syncopen inducere possunt⁽¹⁾; saepe certe diuturnam leipothymiam producunt.

Lingua et os plerumque sicca, magna etiam est sitis. Vomitū fere semper alimenta et mucus interdum cum bile mixtus ejiciuntur. Incipiente insultu, febris plerumque non adest. Pulsus fere semper parvus non acceleratus⁽²⁾, pressio dolorem non semper auget, interdum minuit. Icterus in pluribus casibus post finem paroxysmi oritur. Cum calculus ductum choledochum intravit, dolor sensim sensimque minuit et bilis excretio calculo impeditur. Quum calculus ductum cysticum reliquit aut in ductum choledochum pervenit, aut denuo in vesicam felleam rediit, dolor

(1) In BIANCHI, Historia hepatit. Tom. I., multa exempla leguntur subitaneae mortis a colica ex concrementis biliaribus ortae.

(2) SOEMMERING, dicit op. cit. pag. 57. „Memoratu autem dignum, pulsum sanguinis, etiam in summis doloribus regularem manere.”

plerumque cessat, et si post vehementissimos paroxysmos (¹) magnus collapsus remanet, pulsus debilis et tardus est et totum corpus frigido sudore tegitur.

Cephalalgia, major minorve sensibilitas in regione hepatica, caeteraque symptomata nervosa, in primis apud feminas sensibiles etiam diu remanere possunt.

Vehementia et diurnitas horum symptomatum diversae sunt. Pendent a numero, forma et magnitudine calculorum, nec non a structura viarum biliferarum. Interdum symptomata post unam duasve horas cessant, vulgo cum calculus in duodenum pervenit.

Si calculus est magnus et viae biliferae parvum habent lumen, aut si plures calculi adsunt, symptomata cum nonnullis remissionibus per plures dies durare possunt. Tunc etiam plerumque observatur color iste luridus, ictericus et urina jumentosa fusca.

Inter symptomata minus vehementia nunc etiam febris oritur, quae partim potest esse sequela irritationis mucosae, partim subitae effusionis bilis diu retentae et morbose mutatae in duodenum.

In decursu per tractum intestinalem calculi biliarii saepe etiam colicam et tenesmos excitant; si permagno sunt ambitu, etiam ileum (²) cum lethali exitu producere possunt.

(¹) BUDD. Op. cit.

(²) ABERCROMBIE, Diseases of stomach etc. 2 Ed. pag. 389.

Cum autem jam in duodenum pervenerunt, tunc aut vomitu, quod rarissime fit (¹), aut per anum evacuari possunt.

Concrementa in minoribus viis biliferis intra parenchyma hepatis sita, plerumque parva sunt, et fere semper bile propelluntur. Tunc producunt interdum levem quendam dolorem, eumque mox cessantem, qui tamen nervosis saepe satis vehemens est. Symptomata sequelarum harum concretionum, ut hepatitidis, abscessus hepatis etc. tunc saepe magis se ostendunt. Calculi biliarii, quamvis raro in ductu hepatico adsunt, ibi exiguum tantum dolorem excitant. Dolor tunc magis in segmento hepatis inferiori sedem habere dicitur.

(¹) SCHURIG, Lithologia, ubi narrat octo casus concrementorum biliariorum vomitu excretorum.

CAPUT IV.

DIAGNOSIS.

Diagnosis saepe perdifficilis est. Certum demum signum datur, quando unus pluresve calculi cum faecibus per alvum eliminantur. HOFFMANN jam dicit: "inter omnia quae monuimus signa, nihil datur certius vehementes a calculo felleo prognatas dijudicandi passiones, ac si ipsi cum excrementis per alvum secedant;" quamdui in vesica remanent, aut nullis se symptomatibus produnt, aut levem modo dolorem excitant ac pressionis quemdam sensum in regione vesicae et symptomata interdum generalia, quae aequo jure ulcerationi vesicae felleae aut morbis organicis hepatis aut ventriculi intestinorumque affectionibus adscribi possunt.

Huc usque nullum constans et singulare signum pathognomonicum notum est, quod certo

indicat, calculos biliarios adesse. Quum ex vesica fellea exeunt, et symptomata observantur, quae colicae hepaticae propria diximus, tum demum pro certo diagnosin facere poterimus, quando aegrotus jam prius eiusmodi affectionibus laboraverit et calculos adesse jam manifestum fuerit.

Diagnosis facilior redditur scientia causarum, e quibus plerumque oriuntur calculi.

Doloris habita ratione, primo adspectu judicari possit, inflammatoriam conditionem adesse; in primis quum nondum aegrotus tale symptomata praebuerit. Generatim autem febris symptomata desunt, quae certe raro in dolore, cuius causa est inflammatio, deficiunt. Praeterea origo doloris nobis etiam aliquid luminis adfert ad diagnosin constituendam. Dolor enim ex inflammatione ortus sensim tantum crescit et continuus est; contra ex colica hepatica subito dolor oritur, manifestos habet paroxysmos, et dum in priori casu dolor pressione externa augetur, in posteriori potius minuitur, certe pressione ingravescit.

In omnibus casibus ad diagnosin constituendam necesse est faeces explorare, ut cognoscamus, num calculi biliares insint an secus. Quem in finem optime utimur vase ut cibrum perforato, in quod excreta funduntur. Continua aquae infusione sensim sensimque faeces perfluent atque concrementa insolubilia remanent in cribro ⁽¹⁾.

⁽¹⁾ CANSTATT, op. cit. et quidem part. supplementi, quam HENOCII scripsit pag. 585.

CAPUT V.

PROGNOSIS.

Prognosis valde est varia et pendet a conditionibus, a symptomatibus, quae singulis casibus propria sunt.

Notum est, cholelithos diu in vesica fellea adesse posse sine ullo symptomate. Plures autopsiae nobis eos monstrant, ubi durante vita nulla eorum fuit suspicio.

Fausta est prognosis, quum calculi non nimis magni, regulares et glabri sunt; tunc enim minore cum dolore facile una cum bile in tractum intestinalem protruduntur, nec ullam morbosam affectionem relinquunt.

Minus fausta est prognosis, cum symptomata colicae hepaticae intrant. Haec enim ipsa jam causa mortis esse potest; non minus calculi diu incarcерati sequelae, ut inflammatio, suppuration,

gangraena, perforatio cet. mortem afferre possunt.

Aegroti, qui semel paroxysmum colicae hepaticae passi sunt, recidivis expositi sunt. Plerumque unus tantum vel pauci calculi durante insultu vel post eundem evacuantur, et quamvis omnes qui adsunt calculi eliminentur, calculorum formatio remanere potest.

Si ileus ut sequela calculatorum oritur, tum certe prognosis etiam valde infausta est.

CAPUT VI.

EXITUS.

Symptomata, quae calculus biliarius efficere potest, uti jam vidimus, majori vel minori temporis spatio adesse possunt, et aut transire in stadium quietis, cui ocius serius novus paroxysmus succedit, aut in quietem continuam et sanitatem, quando calculus in tractum intestinalem protruditur et evacuari potest. Mortem afferre potest virium exhaustione; ansam dare potest aliis morbis, et sic quoque in mortem abire. Hae sunt mutationes, de quibus jam breviter videbimus.

Prima morbosa organica mutatio calculis biliaris orta certo erit inflammatio mucosae, ut sequela stimuli quem excitaverunt. Secundum FOERSTERUM (¹) originem dicit e ductu bilifero

(¹) FÖRSTER, Leerboek der pathol. anat. Tiel, 1851. 2^e stuk.
Pag. 208.

communi et ductu cystico et praesertim vesicam felleam occupat ⁽¹⁾). Decursum habet acutum, ad cuncta membrana simul se extendit et efficere potest, ut vesica fellea rumpatur et bilis atque calculi in abdomen effundantur: aut decursus est chronicus, ulcerationes in membrana mucosa producere potest, ut et fistulas in cellulosa mucosae subjacente cum perforatione quaqua-versus. Superficies externa vesicae felleae in hoc casu membranis spuriis tegitur et, adhaesioneibus post inflammationem ortis, cum omnibus partibus contiguis conjungitur; unde fit, ut, post perforatum vesicae parietem, plerumque circum-jacens cellulosa bile imbuatur, inflammatio cum pyogenesi, abscessus in peritonaeo orientur, item fistulae per tegumenta abdominalis ⁽²⁾, in ventri-culo, duodeno, colo transverso, per quas saepe magni calculi facile eliminantur. Eadem obser-vantur in inflammatione ductuum biliferorum, stimulo calculorum producta.

Secundum FOERSTERUM atrophia vesicae felleae bonus est exitus chronicae inflammationis.

Parietes valde crassi evadunt. Vesica ipsa continet fel inspissatum cum muco et calculis. Vesicae volumen perparvum est. In parietibus

(¹) ROKITANSKY op. cit. pag. 366.

(²) HOFFMANN 80 ex ulcere abdominali concrementa biliaria prodire vidit; BUETTNER 38 calculos ejusmodi per umbilicum; TOLET, concrementum biliare ovi columbini magnitudine ex ulcere umbili-calii proveniens vidit. TOLET, de Lithotomia. Cap. IV. pag. 24.

crassis interdum ossificatio spuria oritur. Hicce a ROKITANSKY (¹) callus abnormis dictus exstat ossificatione vesicae felleae, quae ut sequela inflammationis in telam fibrosam est mutata.

Eiusmodi mutationem in textura atque forma vesicae felleae observavi apud foeminam in clinico medico clarissimi LONCQ.

Haecce femina, 53 annos nata, (in nosocomium academicum recepta die 26 Februarii 1855), mater novem liberorum, staturae erat modicæ. Post annum 46 aetatis non amplius menstrua habuerat. Querebatur de dolore in dorso et latere dextro, valde emaciata erat, pulsus frequens. In hypochondrio dextro usque ad umbilicum tactu invenimus massam duram, perspicue hepar valde extensem, crura erant oedematosa, debilitas magna, anaemia notabilis. Fæces coloratae, urina ostendit sedimentum album. Ante plures annos semel ictero laboraverat. Obiit die 8 Martii. In autopsia, postero die instituta, hepar se permulto majus quam normale ostendit. Praeter perparvam partem lobi dextri fere normalem, erat ceteroquin degeneratum in telam solidam, lardi speciem præ se ferentem. Loco vesicae felleae saccus erat e tela fibrosa duodeno conjuncta, ab omni parte clausa, magnitudinis circiter 2 centim. in diametro. Serum inerat et novem glabri, pellucidi calculi biliares, qui cholestearinum continebant.

(¹) I. c.

An h̄ic , durante ictero , inflammatio chronica ductuum biliferorum , per calculos allata , locum habuit , unde , ut sequela , telae mutatio ?

Calculi biliarii ductus biliferos quoque dilatare possunt . Dilatatio se ostendere potest ab exitu ductus choledochi in duodenum ad ductus capillares bilis , aut tantum majorem minoremve partem occupat .

Majores ductus biliferi imprimis se valde extendere possunt . Morgagni reperit aliquando ductum choledochum adeo extensum , ut facile duos digitos ei inducere posset .

Hydrops cystidis felleae exoriri potest , quando cholelithi in ductu cystico remanent . Nulla bilis amplius in vesicam felleam intrare potest , quae muco agglomerato sensim extenditur ; si magis se contrahit , mutatur in cystidem serum continentem aut limpidum aut reliquiis bilis leniter coloratum .

Quum cholelithi in ductu choledoco adsunt eumque obstruunt , tunc icterus cum eius sequelis (Cf. pag. 18) exoriri potest ; non semper autem hoc accedit ; bilis saepe etiam inter calculos et parietes ductus choledochi effluere potest . Obstructio totalis praesertim pendet a magnitudine et forma calculatorum .

Inter rarissimos exitus citari potest formatio abscessus in hepatis substantia ut sequela ulcerationis , (1) perforationis calculis biliariorum in vesica fellea aut ductibus biliferis ortae .

(1) BUDD. op. cit.

Haud dubie venae parvae, ulceri finitimae, inflammantur, aut secretum ulceris saniosum absorbetur.

Quum per tractum intestinalem calculi parviam faciunt, etiam in processu vermiformi manere possunt atque ansam praebere ad ulcerationem et perforationem, formationem abscessus in cavitate peritonaei aut peritonitidem cum exitu lethali.

Chlamydiae mucosae hemorrhagia drogo aquipendii
obligatoe, aliave, dñe dolorum secrete bocant
sphincter rectalis et mucosae bocante
possunt interire tepidae mucosae bocantes.

CAPUT VII.

CURATIO.

Medicatio instituenda apud laborantes calculis
biliariis, partim palliativa, partim radicalis esse
debet.

Priori affectiones spasticae et dolor, quem
calculus ductus biliferos permeans excitat, sed
danda sunt et calculorum amotio promovenda.

Posteriori 1º resolutio calculorum, qui adsunt,
est promovenda 2º formatio novorum calculorum
praevenienda.

Ad curationem palliativam omnia medicamina
sunt indicata, quae valent ad spasmodicam con-
tractionem ductuum biliferorum amovendam et
calculi in duodenum transitum promovendum.
Huc imprimis pertinent balnea calida vel tepida,
in quibus per longum tempus, immo per aliquod
horas, aegrotus remanere debet. Externe cata-

plasmata et fomentationes calidae, emollientes, saepe repetitae applicentur ex dec. cap. pap. alb. aliisve sedantibus, et inflictiones adhibeantur oleosae, aliaeve, quae dolorem sedare possunt. Clysmata mucosa demulcentia quoque adhiberi possunt, interne tepidae, mucosae potionēs.

In symptomatibus interim vehementioribus, validiora medicamina sunt adhibenda. Apud aegrotos fortes, robustos, cum pulsu pleno et duro, sine dubitatione venae sectio larga (POWELL) est instituenda, immo etiam, si ita res postulat, repetenda est. (1) Haece venae sectio instituitur partim ad ductus irritatos relaxandos, partim ad inflammationem praecavendam. Sic etiam, si dolor in hypochondrio dextro pressione augetur et febris intercedit, hirudines sunt applicandae et epispastica adhibenda, si nempe suspicio est, processum inflammatorium enasci.

Quando symptomata, quae plus minusve inflammationem indicabant, nunc diminuta sunt, cum fructu narcotica adhiberi poterunt, quae curatio imprimis apud nervosos et minus robustos aegrotos antiphlogisticae curationi praferenda est. Opium ejusque praeparata, acet. morphii praeceteris hic primum locum tenent. Nonnunquam opium cum fructu in pulvri aërophoro conjungitur aut datur cum praeparatis, quibus etiam ventriculi irritabilitas diminui potest, nempe

(1) HOFFMANN, V. SWIETEN, DURANDE.

ac. hydrocyanico. In aliis casibus opium aetheri mixtum, salutares edit effectus. PEMBERTON (¹) dabat omni hora 1 gr. opii sive 25 gutt. tint. opii, et simul clysmata ex amylo et tintura opii. BELL (²) ad sedandum dolorem omnibus 2 vel 3 horis dat 2 ad 3 gr. opii, et pannos, laudano imbutos, ad regionem epigastricam applicat. POWELL curationem incipit a magna dosi opii, quam paulatim diminuit. BRICHETEAU, (³) si opium exspectatum auxilium non afferebat, tint. castorei parvis dosibus adhibebat et omnibus remediis frustra adhibitis ad dolorem levandum, bono cum eventu vesicam glacie impletam ad epigastrium applicabat.

Belladonna etiam cum bono eventu adhibita est. LALOTTO (⁴) casum refert, in quo extractum in pilulis dabat, omni bihorio $1\frac{1}{3}$ - $1\frac{1}{2}$ gr. una cum unguento ex hoc medicamine composito. In vehementibus symptomatibus quoque chloroformum adhiberi possit.

Ad vehementi vomitui occurrentum potio Riverii datur (⁵).

Nonnulli medici (HEBERDEN, SAUNDERS) vomitum per ipecacuanh. gr. 20-30 vel tart.

(¹) C. R. PEMBERTON, Verhandeling over de verschillende ziekten der onderbuiksingewanden, 1820, pag. 47.

(²) BELL, on the diseases of the liver etc. London 1833.

(³) BRICHETEAU, neue Samml. auserl. Abhandl. Bd. X. 5, S. 255.

(⁴) SCHMIDT's Jahrb. Bd. I. S. 170.

(⁵) CANSTATT. op cit.

emet. gr. β -l pro dosi excitare conati sunt, sperantes fore ut laxatione fibrarum muscularium, quae post vomitum plerumque intrat, et actione diaphragmatis et muscularum abdominis, durante vomitu, duplex emolumentum assequerentur, et ita calculus melius protruderetur. HOFFMANN et MORGAGNI hoc jam valde improbabant, et certe periculosissima est agendi methodus. Conditio irritata enim ductuum biliferorum vomitu augabitur et ruptura vesicae felleae insuper sequela esse potest, ut STOKES semel observavit.

Simulac ex minutis symptomatibus conjici poterit, calculum in duodenum pervenisse, res pos-
tulat, ut enematibus ex aqua tepida evacuationi
calculi bilisque stimulantis, cuius interdum in
tubo intestinali magna copia adest, et eccoproticis auxiliemur. Quo minus haecce medicamina
adhibenda sunt in vehementi colicae hepaticae
accessu, eo magis h̄c bono cum successu sumi
poterunt, ut salia alcalina, merc. dulc., decoct.
fruct. tamarind. cum manna, ol. ricini.

Ad solutionem calculorum efficiendam, variis temporibus multa remedia eaque diversissima proposita sunt. Alcalia carbonica quam maxime hunc ad finem commendata sunt, quia eorum efficacitas explicabatur e solubilitate facilis salium potassae et sodae cholestearinicae. Diversa remedia specifica ad hunc scopum afferuntur, ut, ac. nitricum (RICHELMI), aq. calcis (WHYTT, CONRADI), ac. oxalic. et phosphoric. (CARREN-

DEFFEZ) ⁽¹⁾. Praeter haec DURANDEI ⁽²⁾ specificum quam maxime laudatur. Compositio ejus haec est : R. Ol. Terebinth. rectif. dr. i. q. amil solve in

Aetheris Sulph. dr. iiiij.

DURANDE incipiebat, per 6 ad 8 hebdomades, a demulcentibus et resolventibus adhibendis. Tunc mane dabat scr. ij specifici sui, dein aegrotus sumere debebat, quantitatem quandam lactis vel jusculi carnis vitulini. Etiam postea decoct. rad. cichorei dabat. Si aegrotus circiter libr. I. hujus remedii sumserat, cessabat et finem curae imponebat medicamentis eccoproticis. Multa consilia addit, quibus attentionem referre debemus, durante cura. Varii auctores optimos eventus hujus remedii adnotant.

DUPARCQUE ⁽³⁾ remedium mutavit, utendo loco olei terebinth., oleo ricini, atque etiam hoc modo bonos effectus se vidisse scripsit. Verosimiliter calculi, qui jam in duodenum pervenerant, ut ex casibus ab illo allatis liquet, ol. ricini actione per anum eliminati sunt. Theoreticis argumentis autem usus horum specificorum difficillime vel potius nequaquam potest explicari, et remedium DURANDEI mihi etiam vi-

(1) Vide, CANSTATT. op. cit.

(2) Nouveaux mémoires de l'acad. de Dyon. 1782. 2^e Sem.

(3) Revue médicale, Avril 1841.

detur non multum valere ad cholelithorum solutionem; qua antispasmodicum, aether solum mihi agere posse videtur: plus mihi valeret usus alcalium, praesertim bicarb. sodae, et aquarum mineralium resolventium, ut Carolinae, Teplitsensis, Fachingensis aliarumque.

Aqua Vichiana⁽¹⁾ a medicis Gallicis quam maxime laudatur. Porro etiam succi expressi ex herbis recentibus latque earum extracta ut taraxaci, cichorei, saponariae, chelidonii.

HALL in nonnullis casibus electricitate usus est. PETITUM, qui vesiculam felleam chirurgico auxilio aperiri calculosque auferri jubebat, vix quisquam nostratum sequetur, si eum excipias casum, quo adhaesio et abscessus inter ventris parietem et vesicam felleam exstant. Ergo non nisi in adhaesione vesiculae felleae ad integumenta abdominalia, tentanda exulceratio est vel apertura artificiosa, ut SOEMMERING dicit.

Ut tandem praecaveamus formationem calculorum novorum, secretionem et excretionem bilis ordinare debemus medicaminibus nominatis ex alcalibus et herbis, et praesertim diaeteticis praecepsis sequentibus. Aeger mane surgat, corpus sub Jove frequenter exerceat currendo ac lavando. A cibis pinguibus, cerevisiis gravioribus, nec non

(1) Haec aqua (eau de Vichy) magnam continet copiam bicarb. sodae, aliorumque salium. Vd. Mémoire sur les eaux minérales de Vichy, 1843.

a coenis largioribus se abstineat. Utatur quam plurimum cibis blande nutrientibus. Alvus, si opus est, promoveatur usu rad. rhei cum pauxillo aloës aut purgantium leniorum.

THESES

Recette cravatier : « En médecine u. en botanique une science & epiphysie de y combse. Les brevetees de ses pieces de l'art de bauant les stirs entierement dans l'utero des femmes des soubres, si n'y a q' autre tressuppling des soubres, en medecine, il n'y a q' autre certaine bouscule des de cestey des brougatissye. »

II.

« Dis Verungnund der otologischen Affectionen des Kindespersonen ist einig eine Verungnund der otologischen Tepesbie, der Spurte der Schlepper. Der Gedestung der Tepesbie sind nicht Rumpfpersonen sondern Bediener ; especiell paroles es sieb nur das Menschen der Tepesbie ; especiell paroles es sieb nur das Menschen der Tepesbie. »

Airchow.

III.

« Remegium durandi quo marmora quercis et metaria

... mit J. tesmiede, ex antroigual einsoo a
zuqo ie „avIA“ tauditgairion ohnsl aidio murnimiq
ollizsq unowisde her van ptevester van
ce, ptevester van buringenq lemoor
bloes ac buringenq lemoor

ad diesc naderen, in „laatste“ van „deel“ 200

T H E S S.

I.

Recte CRUVEILHIER: »La médecine n'est point une
»science à chiffres et à compas. Les préceptes et les
»faits de l'art ne peuvent pas être enfermés dans l'in-
»flexibilité des nombres: en médecine, il n'y a d'autre
»calcul possible que le calcul des probabilités.«

II.

»Die Vernichtung der ontologischen Auffassung der
»Krankheiten ist auch eine Vernichtung der ontologischen
»Therapie, der Schule der Specifiker. Der Gegenstand
»der Therapie sind nicht Krankheiten, sondern Bedin-
»gungen; überall handelt es sich nur um das Wechseln
»der Lebensbedingungen.“

VIRCHOW.

III.

Remedium DURANDEI non magnam fiduciam meretur.

IV.

Sulph. chinini non habet vim tonicam.

HOPFMANN

V.

»Der Arsenik ist ein Mittel, zu welchem kein besonnener Arzt anders als im Nothfall greifen wird.“

LIETZAU.

VI.

Usus mercurii dulcis in hepatide reprobandus est.

VII.

Lepidius quam verius CLARUS de cyaneto zincico :
»Es soll,“ inquit, »gegen Cardialgie, Cephalalgie, Hysterie, Keuchhusten, Epilepsie helfen, thut's aber nicht.“

VIII.

In vera peripneumonia nullum remedium venae sectioni anteponendum est.

IX.

In gastrite venae sectio quam rarissime convenit.
In acutissima medicamenta interna non prosunt.

X.

In dilatatione cordis, parietibus extenuatis, venam secare est mortem maturare.

XI.

In cerebri commotione non instituenda est venae sectio, nisi ingrediente reactione, quam vocant.

XII.

» Videndum, ne tantum ex una parte noceamus, quantum ex altera prosumus.”

HOFFMANN.

XIII.

In ictero calculoso emetica plane sunt rejicienda.

XIV.

Egregie CRUVEILHIER: » La médecine proprement dite puise dans l'anatomie pathologique une grande partie de sa certitude.”

XV.

Non egemus crasi sanguinis speciali, qua tuberculorum ortum explicemus.

XVI.

Chlorosis ea forma est anaemiae, quae haud raro se ostendit tempore pubertatis incipientis.

XVII.

Minus recte CHOUANT: » Im höheren Alter,” inquit, unterliegt der Körper nach und nach einer Menge von anatomisch-physiologischen Veränderungen, welche den alten Spruch: *Senectus ipsa morbus est*, zur völligen Wahrheit machen.”

XVIII.

» Wherever an important vital process is going on, there is an increased flow of blood to the part and a congestion, if it may be so termed, or an accumu-

»lation of blood in the vessels, by which the vital action is maintained.”

BUDD.

XIX.

Non assentior HIPPOCRATI dicenti: »mulierem utero gerentem, si instituatur venaesectio, abortare, eoque magis si foetus grandior fuerit;” contra statuo, venae sectione saepe abortum praecaveri posse.

XX.

Capitis rotatio, quam SCANZONI proposuit, bis forcipem applicando mihi videtur reprobanda.

XXI.

Curatio localis ulceris syphilitici ante diem quintam post coitum, cui tribuendum est, sufficit.

XXII.

In ulceribus curandis maximi est momenti universam aegrorum conditionem respicere.

XXIII.

Virus gonorrhœicum inferre in oculum, uti nonnulli commendant in panno aliisque, est rejiciendum.

XXIV.

Recte Doct. TELJER; »heeft de arts de noodige en doelmatige middelen aangewend en te vergeefs beproefd, de breuk in te brengen, niets mag hem dan terughouden, de beklemming op te heffen.”

— *to goot in the reessee, by help of the allee so
Broo — "touw minsteene".* —

XIX

*Nou sessen tot Hippocratis dicenti: "moxiem in
Bergeren", si inservit aeruere, sporta, eadis
"missis si foetus strugio tuerit"; conitis struendo, aeris
secundis sessis apertum brevem benevoli boose.*

AAN MIJNEN VRIEND

XX

A. M. TEL JER.

BIJ ZIJNE BEVORDERING

TOT DOCTOR IN DE GENEESKUNDE,

26 February 1859.

XXX

In diecijfpa-camagie maxima et momenti universitatis

De laatste schrede is afgelegd.

Van 't oefenperk, u hier ontsloten,

Straks wordt der Hoogeschool 't vaarwel gezegd,

En wat ge hier doorleefd hebt en genoten.

Herinneringen aan een jong'lingstijd, vol zoets

En lieflijks, in het binnenste uws gemoeds

Voor altoos weggelegd.

*Rechte Doc. TELLER; goedt de dodeghe en
Want voortaan wijdt der maatschappij*

Gij al de vruchten van die jaren,

Hier doorgebragt om wetenschap, hetzij

Door andren, 't zij zelf-vorschend zaâm te garen,

Opdat gij later zoudt verdrijven met Gods hulp

Uit 's rijken ziekvertrek en 's armen stulp

Der krankheên breedte rij.

Gezegend zij het schoone doel,
Waarmeē ge uw loopbaan binnensneldet,
Smaak ruim 't genot van 't zaligend gevoel
Eens redders, dan wanneer gij perken steldet
Aan 't vlijmen van de smart en 't woeden van den dood.
Dat ondank nooit den last dier taak vergroot',
Den lust er toe verkoel'.

Wat u ook in de toekomst wacht,
Gedenk uw' Akademievrienden,
En wees verzekerd, als geluk u tegenlacht,
Wij juichen met u, — mogt ge rampspoed ondervinden,
Geen onzer, die, als hij 't vermag, u niet
Volgaarne elken galsteen van verdriet
Geheel te ontnemen tracht.

Vaarwel dan, 't scheiden doet ons zeer,
Moog' 't lot ons vaak weēr zamenbrengen,
Hoever uiteen — wij zullen u ter eer
Nog lang in Utrecht's vest een feestdronk plengen.
En treēn ook wij die wijde, wijde wereld in,
Wij blijven wenschen met oregtezin:
Steeds dale op u en uwe levensgezellin
Des Hemels zegen neēr.

Utrecht, 24 Febr. 1856.

J. JONGENEEL.

